

atione peccantes, et similiter contra clericos tam saeculares quam cujusvis ordinis, instituti et militie regulares, male promotos constitui, absolutionemque et dispensationem Sedi apostolicae reservari, et alias, sicut in praefatis litteris continetur; considerantesque tunc promoventes quam eos, qui ad dictos ordines promoventur, saepe censuris et poenis hujusmodi ob illarum multiplici- tatem, in eorum perniciem animarum variis modis ilaqueari, nonnullos ex praelatis et episcopis in conferendis hujusmodi ordinibus nimis scrupulose procedere, multosque metu poenarum et censurarum praefatarum ab ordinum collatione praesus deterreri, adeo ut clericorum et sacerdotum nu- merus propterea aliquibus in locis valde immi- nutus sit, omnium in primis securitati ac ani- marum saluti paterna charitate prospicere volentes, praedictas litteras ad terminos SS. canonum ac constitut. rec. mem. Pii Papae II etiam praede- cessoris nostri quae incipit *Cum ex sacrorum ordinum* sub dato videlicet 16 kal. decembris, pontificatus sui anno quarto, cujus tenorem praesentibus pro- expresso haberi volumus, et ad dispositionem de- cretorum sacri Trid. concilii restringimus et redu- cimus, necnon censuras et poenas in eisdem Sixti litteris contentas, praeterquam contra simoniae ordi- nantes et ordinatos inflictas, quas volumus in suo robore permanere, aliis etiam poenis et cen- suris per eosdem canones ac constitutionem Pii II, conciliumque Tridentinum injunctis, salvis et firmis remanentibus, moderamur et abolemus. »

ADNOTATIO XLVIII.

Lib. I. Tit. XI. § VII, n. 173; pag. 468.

ITEM DE CLERICIS MALE PROMOTIS ET EPISCOPIS IN ORDINUM COLLATIONE PECCANTIBUS.

Sic loquitur Urbanus VIII, constt. *Secretis*, 41 dec. 1624: « Cum autem non sine gravi animi nos- tri molestia nobis innotuerit quamplures ultra- montanos suae salutis immemores, Deique timere postposito, ad ordines praedictos sine dimissoria- libus litteris, seu etiam cum titulo patrimonii ficto vel fiduciario, seu etiam falso, cum maximo hono- rum omnium scandalo, se promoveri fecisse, nos innumeris quae ex minus canonica clericorum ordi- natione hujusmodi proveniunt malis, quantum nobis ex alto conceditur, providere volentes, praedictam Clementis praedecessoris constitutionem cum omnibus et singulis in ea contentis appro- bantes et innovantes, motu proprio... venerabili- bus fratribus patriarchis, archiepiscopis, et epis- copis in Italia existentibus tenore praesentium prohibemus ne, quovis praetextu et ex quacumque causa, Hispanos, Lusitanos, Gallos vel Germanos, alios quoscumque ultramontanos, et ex quibusvis locis extra Italiam oriundos, non solum ad sacros, sed neque etiam ad minores ordines vel clerica- lem characterem promovere audeant seu praesu-

mant, nisi dimissoriales suorum ordinum litteras, a nostris et hujus Sanctae Sedis nuntiis, seu collectoribus in illis partibus commorantibus, re- cognitae, probatae et subscriptae habeat, eorum- demque nuntiorum seu collectorum subscriptiones a dilecto filio nostro in alma Urbe vicario in spi- ritualibus generali similiter examinatae, recogni- tae et approbatae fuerint; alias promoventes ad annum ab exercitio pontificalium, promoti vero perpetuae suspensionis poenam, absque spe dispen- sationis a Sede apostolica obtinenda; incurrant eo ipso. Insuper promotos hujusmodi, ac etiam eos qui, cum falsis vel fictis aut fiduciariis patri- monii titulis, scienter se ad ordines hujusmodi pro- moveri fecerint, non solum praedictis, verum etiam majoribus, arbitrio nostro et pro tempore existentis Romani Pontificis, infligendis poenis... plecti de- cernimus.

» Italos vero, si quos in posterum clericali cha- ractere insigniri, vel ad minores ordines promo- veri ab alieno episcopo cum falsis dimissoriis con- tingerit, etiamsi qualitatibus per concilii Trident. decretum cap. XVI, sess. 23, requisitis praediti sint, nihilominus, secuta tamen prius desuper ju- diciis ecclesiastica declaratione, fore privilegio mi- nime gaudere, sed saeculari jurisdictioni, ut antea, plene in omnibus subjacere et subjectos esse res- pective volumus...

» Per praesentes autem constitutioni rec. mem. Pii Papae II praedecessoris nostri contra male pro- motos editae nullatenus derogare intendimus, sed illam cum omnibus et singulis in ea contentis in suo robore et efficacia permanere, perinde ac si praesentes non emanassent, decernimus. »

Ad hanc Urbanam constitutionem addit Giral- dus, *Exposit. jur. pontif.*, part. I, sect. 92: « Nota 1^o quod, quamvis in allata decretali sublata sit majori poenitentiaro facultas absolvendi ab ibi in- flicta suspensione, hodie tamen ex const. Bene- dicti XIV *Pastor bonus*, 13 april. 1744, potest ab ea absolvere absque speciali licentia Papae, ut § VI. » Nota 2^o, juxta probabilior sententiam, in Urbani constitutione non comprehendi insulas Ita- liae adjacentes, Siciliam videlicet, Sardiniam, Me- litam et Corsicam, cum in ea non sint expressae; et, cum agatur de materia odiosa, nullatenus sit ad easdem extendenda, ut probat Romualdus Ho- noranti in *Praxi secretariae Urbis vicarii*, cap. X, not. 3. »

ADNOTATIO XLIX.

Lib. I. Tit. XI n. 190 var. 471.

DE CLERICIS ORDINANDIS A VICINIS EPISCOPIS, ATTENTA SUSPENSIONE PROPRII EPISCOPI ET QUIDEM MANI- FESTA.

« An autem hodie, postquam episcopi suspensio manifesta est, illius subditi, tam arctati quam non, promoveri interim possent ad ordines a vicini-

bus episcopis sine ejusdem licentia, juxta indultum hujus decretalis (*Eos qui*, hoc titulo in 6.), contrarium asserere non audeam, cum nullibi hucusque hujus juris communis sanctioni derogationem invenerim, nec ab ullo ex auctoribus qui, tam ante quam post constitutionem Innocentii XII *Speculatores*, scripserunt, id unquam in dubium revocatum fuisse legerim, imo potius hanc eam- dem sanctionem, tanquam adhuc vigentem, eos quasi admittere animadvertimus.

» Opinor tamen quod, cum non satis esset notorietas facti, vi cujus viciniore episcopi praefato indulto uti possent, sed necessario requireretur notorietas juris, declaratio scilicet per sententiam incursionis in suspensionem, haecque juxta hodiernam Ecclesiae disciplinam contra episcopum ferri nequeat nisi a Sede apostolica, hanc eodem tem- pore fore provisuram crediderem per specialem de- putationem vel metropolitanam vel alicujus episcopi ex vicinioribus, a quo subditi suspensi episcopi ordinari possent, ut tam ab ipsa S. Sede quam a Congregatione concilii in similibus facti contingentiis fieri solet.

» Si vero Sedes apostolica aliter quam a dicta decretali non provideret, dicendum esset eidem derogare noluisse.

» Queri hic etiam posset an, sicut ordinati sine licentia proprii episcopi remanent suspensi ab executione ordinum sic susceptorum dumtaxat, juxta Trident. et const. *Speculatores*, ita etiam ordinans remaneat suspensus a collatione ordinis male collati tantum, aut ab omnibus.

» Cardinalis Petra in *Comment.* ad const. VII Pii II, sect. unica, n. 34, ita sentit cum Fagnano, ibi: « Episcopus ordinans sine litteris dimissoriis » proprii ordinarii est suspensus per annum a col- latione ordinum, non per Pianam constitutionem, » sed per concil. cit. cap. VIII, sess. XXIII, con- firmatum in bulla *Speculatores* Innocentii XII, » estque suspensus ab ordine sic male collato et a » majori, v. g. si contulerit diaconatum, erit sus- » pensus a collatione istius et presbyteratus; secus » autem collatione minoris. Fagnan. in cap. *Vel* » non est compos, n. 16, de *Temporibus ordinat.* » (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.*, part. I, sect. 93.)

ADNOTATIO L.

Lib. I. Tit. XIV. De aetate, et qualitate et ordine praeficiendorum, n. 28; pag. 485

DE PRIVATIONE BENEFICII OB NON RECEPTUM ORDINEM DEBITUM.

« Hanc decretalem, *Ut abbates*, in qua arctantur abbas, decanus, et praepositus ordinem presbyte- ratus suscipere, expendit Fagnanus et ex cap. XII conc. Trid., sess. XXIV, de *Reform.* § *Ad caeteras*, probat n. 5, eam hodie non procedere, tam quoad abbatem titularem dumtaxat, non conventualem, quam quoad decanum, praepositum et archipres-

byterum, quibus nulla subest animarum cura, » quoniam ex decreto dicti concilii ad quascum- » cantur clerici viginti duobus annis non minores, » id est, qui vigesimum secundum aetatis annum » expleverint, ut declaravit S. C. ejusdem concilii » interpres. Et cum decretum illud loquatur per » verba universalis, et excipiat illas tantum digni- » tates quibus cura imminet animarum, utique » vindicat sibi locum etiam in quatuor dignitatibus » de quibus disponit haec decretalis; alioquin de- » cretum illud fere elusorium esset. Nam dignita- » tes hic expressae sunt frequentiores in ecclesiis » ac, si illas excipias, paucae sunt aliae a SS. cano- » nibus cognitae. Quamobrem cum, ex dicto cap. XII, » ad ejusmodi dignitates obtinendas sufficiat an- » nus vigesimus secundus, hinc necessario sequi- » tur ut non habeant ordinem presbyteratus an- » nexum, cum infra annum sic provisi nequeant » in presbyteros ordinari, » et ita etiam declara- tum fuisse refert a Congregatione concilii.

» Verum hodie archidiaconus, qui juxta hanc decretalem debet esse in diaconatus ordine cons- titutus, debet et ipse constitutus esse in ordine presbyteratus, siquidem cum sit prima dignitas post pontificalem, et una ex reservatis Sedi apos- tolicae, de stylo curiae conferri consuevit cum clau- sula « ut provisos teneatur infra annum in pres- » byterum ordinari, alioquin archidiaconatus eo » ipso vacare censeatur. »

» Statuitur etiam in hac decretali quod impe- ditum ex justa causa ordines suscipere suo beneficio annexos (intellige ob impedimentum ex propria culpa contractum) non sint ipso jure beneficio privati, sed privandi per sententiam judicis, ut denotat illud verbum *amittant*.

» Sed in hoc correctae est, ex decreto Martini V in concilio Constantiensi declarante esse ipso jure privatos, ut ex sessione XLIII dicti concilii habita sub die 21 martii 1417, titulo de *Dispensationibus*. » (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.*, part. I, sect. 97.)

ADNOTATIO LI.

Lib. I. Tit. XIV, n. 31; pag. 486.

AN DETUR DISTINCTIO INTER ECCLESIAM CURATAM ET ECCLESIAM PAROCHIALEM?

Auctor noster hic loquitur de eo qui habet Ecclesiam curatam non parochialem, et docet pro- motum ad Ecclesiam curatam non parochialem non teneri, quemadmodum tenetur promotus ad Ecclesiam curatam parochialem, ad recipiendum ordinem praescriptum; unde juxta ipsam datur distinctio inter Ecclesiam curatam et Ecclesiam pa- rochiam. Porro ut illa distinctio clarius innotescat, ea quae sequuntur juvat praeculis studentium subjicere.

Rebuffus, disserens de forma mandati apostolici, dicit: « An sufficiat exprimere beneficium cura-

um, si sit Ecclesia parochialis? Quod videtur, quia tantum valet expressio generis quantum speciei, i. Si duo, ff. de Administr. tutor. et cura continet Ecclesiam parochialem. Item eadem ratio est in cura, quae in ecclesia parochiali, in dict. cap. Cum n. illis. In contrarium videtur quia stylus curiae Romanae hoc habet ut exprimat ecclesiam parochialem. Secundo quia potest intelligi de cura fori poenitentialis, ut not. in cap. Omnis, de Poenit. et remiss. et de cura habitu. Ideo melius est exprimere, et hodie est expressum in regula Cancellariae LII (nunc LVII), et Imola scribit in Clem. un. in verbo Duobus, de Officio vicarii, ubi traduntur differentiae inter Ecclesiam parochialem et curatam.

» Si tamen in signatura fuerit facta mentio curae, et in ea fuerit dictum quod possit major specificatio fieri, poterit in bulla extendi et apponi parochialis, quia exprimendo parochialem specificatio fit curae, cum parochialis dicatur species curae. Vide Card. cons. 30. » (Concordata inter SS. Dom. N. PP. Leonem et Sedem apostolicam ac christianiss. D. N. regem Franciscum).

» Cum tempore cardinalis Aleciati, inquit Fagnanus, dubitasset episcopus Septem. an Ecclesia habitata curata seu parochialis, et non actu, esset incompatibilis cum Ecclesia cathedrali juxta decretum Trid. concilii sess. XXIV, de Reform. cap. XII, sacra Congreg. censuit non esse, quia appellatione parochialis non venit ista quae actu non est curata, et communis est DD. opinio, de quo testatur Felinus inc. Postulasti, n. 9, de Rescriptis et, Rebuff. De non promotis infra ann., n. 34; tamen quia Cancellaria aliud sensit, forte quia de die in diem potest fieri actu, si revertantur parochiani, et Sanctitas Sua alias visa est idem sentire; ideo agendum cum Sanctissimo. Sanctissimus declaravit, secundum sententiam Cancellariae, appellatione parochialis comprehendit etiam illam, quae tantum habitu sit; quoniam in horas singulas potest fieri actu.....

» Accedit etiam quod auctores qui sentiunt Ecclesiam habitu curatam regulari uti beneficium simplex, moventur omnes ea potissimum ratione quia, cessante causa incompatibilitatis et residentiae, eo quod Ecclesia careat populo et incolis, et sic desit materia in qua rector ecclesiae officium pascendi exerceat, debet etiam cessare effectus....

» Ex quibus omnibus videtur respondendum parochialem, habitu tantum curatam, minime inducere incompatibilitatem, nec residentiam requirere, nisi subsit spes ut brevi populus revertatur; quae tamen non videtur subesse in casu praesenti, cum, secundum ea quae proponuntur, dicta parochialis ruralis sit, ac sine populo et incolis supra ducentos annos. Et in hanc sententiam sacra Congregatio respondit. » (In I part. libri III Decretal. de Praebendis, cap. Extirpanda, § Qui vero.)

Cf. etiam Reiffenstuel, lib. I, tit. XVIII, § 2.

ADNOTATIO LII.

Lib. I. Tit. XVI. De sacramentis non iterandis, n. 16; pag. 491.

DE ITERANDA ORDINATIONE PRESBYTERI, QUANDO FUERIT OMISSA MANUUM IMPOSITIO.

« Quamvis in decretali Presbyter statuatur non esse iterandam ordinationem presbyteri et diaconi, si in collatione ipsorum respective ordinum omissa fuerit manuum impositio, sed hanc dumtaxat statuto tempore supplendam, cum tamen, attentata controversia inter canonistas et theologos, an manuum impositio sit de solemnitate tantum vel potius de essentia, non leve supersit dubium an ordinatio sit valida, tutius est ut tota iteretur, saltem sub conditione, potissimum presbyteratus, ad obviandum animarum periculis propter sacramentum poenitentiae a sacerdote sic ordinato administratum. Fagnan., ad cap. Cum venisset, de Sacra unctione, n. 54 et 97.

» Ista etiam est praxis Congregationis concilii quae in similibus casibus censuit iterandum esse ad cautelam, ut accidit in dubio Ordinationis, 11 febr. 1708, lib. LVIII decretorum, cum quidam capuccinus ordinatus fuisset per porrectionem patenae sine hostia. Idem censuit, ut refert Benedictus XIV, de Syn. dioc., lib. VII, cap. x, in ea facti specie quo sacerdotio initiandus, ad alia distractus, non accessit ad episcopum porrigentem patenam cum hostia et calicem cum vino. » (Giraldus, Exposit. jur. pontif., part. I, sect. 114.)

ADNOTATIO LIII.

Lib. I. Tit. XVI, n. 23; pag. 492.

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS CUM OLEO SINE BALSAMI ADMISSIONE COLLATO.

« Cum Innocentius hic, cap. Pastoralis, non definiat quenam sit essentialis materia confirmationis, an simplex oleum, vel oleum mixtum balsamo ab episcopo benedictum et responderit dumtaxat postulato « caute supplendum quod incaute fuerit praetermissum; » an balsamum (ita hanc eandem partem expendit Natalis Alexander, lib. II, de Confirmat., proposit. II) sit necessarium necessitate sacramenti, ita ut confirmatio cum oleo solo collata irrita sit, an praecipue dumtaxat necessitate, quemadmodum admixtio aquae in vino in sacramento Eucharistiae; sub iudice his est, theologis in varias sententias abeuntibus. Unde cum res incerta sit, quaestione minime finita Ecclesiae iudicio, si aliquem oleo solo absque mixtione balsami ab episcopo inungi contingeret, dubium esset sacramentum et sub conditione iterandum, ut colligitur saltem ex Innocentii III decretali, cap. Pastoralis, quam partis utriusque theologi ad opinionis suae praesidium trahunt....

» Veram licet Ecclesia non damnaverit opinionem asserentium balsamum non esse de essentia,

cum tamen Patres omnes (sunt verba doctissimi viri Philippi de Carboneano in Addit. ad theolog. mor. Gabrielis Antoine, in append. ad tract. de Confirm., § I) qui unctionis hujusmodi meminerint, vel balsamum expresse designaverint, vel saltem illud indicaverint, appellando unctionis materiam chrisma unguentorum et myron, cum denique in euchologis omnibus, omnibusque ritualibus, etiam balsamum pro principi materiae parte hujus sacramenti praescribatur, quasi certo constitui posse videtur balsamum ad sacramenti essentiam pertinere, atque adeo collatum sine balsamo sacramentum esse irritum, et iterandum; id vero fieri debet sub conditione, quod contraria opinio ab Ecclesia non sit damnata.

» In eadem sententia est D. Thomas, p. III, q. 72, art. 2; quae quidem nititur perpetuae traditioni et epistolae II S. Fabiani Papae, cap. un., Fabianus, relata a Labbeo, tom. I, p. 659, ubi ait: « Ex divina institutione provenire ut oleum cum balsamo conficiatur. »

» A qua sententia, tanquam tutiori, non recessisse videtur congregatio concilii quae, cum ei, die 4 april. 1693, propositum fuerit dubium, ortum ex sequenti facti specie, prout reperitur, lib. XLV, Decretorum, p. 125 (?) a me recogniti. « Dubium Cognationis spiritualis: Dum inter Antoniam et Emmanuelem agebatur de contrahendo matrimonio, Antonia vocata non recusavit tenere filium praed. Emmanuelis in Confirm. sacramento quod episcopus administravit, sumpto oleo infirmorum loco et vice olei sacri chrismatism; ideoque delecta hujusmodi inadvertentia et errore, edicto omnes confirmatos ad novam confirmationem vocavit, ac filia dicti Emmanuelis iterato accessit, suscepta ab alia quam Antonia, quae recusavit ne cognationem spiritualem contraheret ad effectum nubendi cum Emmanuele. Ad quae dignentur EE. VV. benigniter respondere: an in casu praedicto contracta sit cognatio spiritualis, et ita contractum impedimentum contrahendi matrimonii inter Antoniam et Emmanuelem? Die, etc... S. C. rescripsit: ad mentem, quae fuit ut dispensarentur ad cautelam; » prout refert cardin. Petra in comm. ad constit. XIV Innocenti IV, n. 42. » (Giraldus, Exposit. jur. pontif., part. I, sect. 113.)

ADNOTATIO LIV.

Lib. I. Tit. XVII. De filiis presbyterorum ordinandis vel non, n. 4; pag. 495.

UTRUM EXPOSITI AD ORDINES PROMOVERI POSSINT.

« Quamvis expositi, et ii de quorum legitimis natalibus dubitatur, juxta quamplures doctores habendi et praesumendi sint pro legitimis, et sine dispensatione ad ordines promoveri possint, cardinalis tamen Petra, t. V, comm. ad constit. XXII, Sixti IV, n. 11, sentit tenendam esse tutiorem

opinionem, ideoque, quoad ordines saltem suscipiendos, hos indigere dispensatione, cum requiratur probatio legitimitatis, pro qua sufficit praesumptio; additque eos ex decreto Congregat. concilii in Sulmonen., 22 febr. 1710, ea indigere ad cautelam, si adsint conjecturae hinc inde pro legitimitate vel illegitimitate. » (Giraldus, Exposit. jur. pontif., part. I, sect. 115.)

ADNOTATIO LV.

Lib. I. Tit. XVII, n. 29; pag. 500.

UTRUM EPISCOPI DISPENSARE POSSINT CUM ILLEGITIMIS AD SACROS ORDINES, QUANDO DEFECTUS NATALIUM EST OCCULTUS.

Auctor noster pro sententia affirmativa tenet; sed Giraldus adhæret negativae dicens: « Quæri posset an nodie, si defectus natalium esset occultus, episcopus in vim cap. VI, conc. Trid. sess. XXIV, de Reform. dispensare queat ad ordines majores et beneficia curata super hac irregularitate.

» Planum est negativum responsum ex ipsomet conc. Tridentini textu, tribuente quidem facultatem episcopo dispensandi super quacumque occulta irregularitate, ea excepta quae oritur ex homicidio voluntario, sed proveniente dumtaxat ex delicto, non ex defectu, qualis est defectus natalium, qui non provenit ex delicto proprio sed parentum. » (Exposit. jur. pontif., part. I, sect. 128.)

ADNOTATIO LVI.

Lib. I. Tit. XVII, n. 32; pag. 500.

ILLEGITIMUS NEQUIT BENEFICIUM HABERE IN ECCLESIA IN QUAM PATER BENEFICIUM HABERE HABUIT.

« Nota 1º filium illegitimum a habere minime posse beneficium in Ecclesia quæ sit soror alterius Ecclesiae, in qua pater habuit beneficium, ut firmavit Rota in Cæsaraugustana canonicatus, 2 julii 1742, § IV, et pluribus sequentibus coram clar. mem. Bussio. Duæ vero Ecclesiae dicuntur sorores, quoties beneficiarii unius possunt promiscue divina officia in altera celebrare, ut respondit idem tribunal in dict. Cæsaraugust., 2 julii 1742, § II et III, coram eodem.

» Nota 2º filium illegitimum beneficium habere nec posse in ecclesia, ad quam pater, ratione beneficii alterius Ecclesiae, potest certis dumtaxat solemnioribus anni diebus accedere, ita ut vere et proprie dici nequeat soror; ut rescripsit S. C. concilii in Leodien., 30 aug. et 3 sept. 1582, et, relata hac resolutione, dixit Rota, in dict. Cæsaraugust., 2 julii 1742, § III.

» Nota 3º quod ex decretis Cong. conc. relatis a Benedicto XIV, cap. XXIV, lib. XIII, de Syn. dioc., filius illegitimus patris, jam defuncti, neque potest audire confessiones in Ecclesia quam pater uti parochus obtinuit. Quod locum habet, etiamsi parochiam, intermedia persona, obtinuerit. Non prohi-

betur autem quominus possit esse capellanus amovibilis, ubi pater fuit pariter capellanus itidem amovibilis. Item pater legitimus potest obtinere etiam immediate beneficium illegitimi defuncti. Insuper nepos legitimus, ex patre illegitimo progenitus, capax est beneficii, quod avus antea possedit. Capax pariter est beneficii filius legitime natus ex patre naturali legitimo. » (Giraldus, *Expos. jur. pontif.*, part. I, sect. 118.)

» An collatio beneficii filio sit nulla ipso jure, praesertim in casu quo facta sit presbytero qui, si beneficium collatum obtinere non possit, in dedecus ordinis clericalis mendicare cogetur? Die 22 martii 1376, cong. concilii publica censuit collationem beneficiorum factam illegitimo in Ecclesia in qua pater fuisse nullam ipso jure, ut probat ad litteram cap. *Ad abolendam, de Filiis presbyter.*, ibi: « Decernimus non valere. »

» An autem illegitimo suffragetur cap. *Veniens, de Filiis presbyt.*? Visum fuit hoc casu clare non suffragari, quia dict. cap. *Veniens* procedit quando illegitimus fuit promotus ad presbyteratum ad titulum beneficii in Ecclesia in qua pater, ut clare verba illius textus ostendunt, nec Abbas in hoc contrarium vult. In casu autem presenti agitur de capellaniam in Ecclesia in qua pater, quae collata fuit illegitimo postquam factus est presbyter, nec in actu promotionis ad presbyteratum legitur quod fuerit promotus ad titulum illius capellaniam. Sed etiam quod constaret promotum ad titulum illius capellaniam, adhuc aliqui ex card. Montaltus, Carafa, Lumellinus, videntur sensisse cap. *Veniens* fuisse correctum concilio propter verba generalia et exuberantia dicti cap. xv, sess. 23, *de Reform.*; sed alii dixerunt quod si casus eveniat quod illegitimus sit promotus ad beneficii paterni titulum, et velit uti beneficio dicta cap. *Veniens*, tunc proponatur in congr. conc. et amplius deliberetur. Et cum concilium, cap. xv, prohibeat omnem dispensationem, et cap. *Veniens* innitatur dispensationi, videtur a concilio sublatum. Item propter illa verba « quoquo modo ministrare. » Et sic, etiam praetextu dicti cap. *Veniens*, et quanquam dictum fuerit an saltem agendum cum Sanctissimo pro gratia, tamen responsum est ex quo alteri collatum est beneficium, et sic jus tertio quaesitum, non agendum. » (Ibid., sect. 119.)

ADNOTATIO LVII.

Lib. I. Tit. XVIII. De servis non ordinandis, et eorum manumissione, n. 24; pag. 505.

DE SERVORUM ET ADSRIPTIORUM ORDINATIONE.

« Ex integro hoc titulo palam fit, usque ad Gregorium IX, qui pontificatum gessit ab anno 1237 ad ann. 1240, adhuc viguisse servitutem, irregularitatemque illi affixam, ob quam servi (ii nempe qui ex constitutione gentium, et quidem tyrannica potius quam juridica, alieno dominio contra natu-

ram subjiuntur) ad ordines promoveri prohibebantur; quos etiam Ecclesia habere consueverat, licet non tam stricto vinculo quam apud saeculares dominos, ut docet Innocentius III, in cap. vi, *Et libentius*, hoc eod. titulo. Verum deinceps servitutes penitus extinctae fuerunt, in cujus extinctionis testimonium Thomassinus, *De nova et veteri Ecclesiae disciplina*, part. II, lib. I, cap. LXXIV, n. 3, haec habet: « Altum deinceps in jure canonico silentium de servitute et de affixa ei irregularitate. Quin ex adverso Clemens IV, cum rescivisset anno 1266, a Bela, Hungariae rege, rejici episcopum regni sui, ea de causa quod origine servus esset, luculenter ad eum rescriptum sit pro nihilo reputanda haec jam esse discrimina, quae inter homines alios ab aliis humana commenta est imprudentia, imparesque esse voluit quos Deus coaequaverat; hominum voluntate praescribi non potuisse contra naturam, quae humanum genus omne libertate donavit. Denique quanquam praesulem illum certo constaret origine servum fuisse, eam ignobilitatem pontificatus gloria et splendore absorptam, devorataque ita fuisse, ut ne memoria quidem ejus superesse deberet. Nec ei potest obesse originalis servitus, etsi de ipsa constaret, quam dignitas episcopalis absorbit et elisit. »

« His successere servi adscripti qui, domini glebae seu fundo colendo perpetuo adscripti, operas suas personaliter praestare tenentur; et originarii, ex his nimirum orti, et utriusque alio nomine homines proprii dicuntur, prout adhuc hodie, tanquam antiquae servitutis vestigia, reperiuntur in Pomerania, Westphalia, Polonia et Bohemia, ad quos antiquam juris canonici dispositionem de servis non ordinandis extendi asserit Engel, hoc titulo, « juxta tamen terminos juris habiles, et quantum fieri potest, saltem ad interesse domini no resarciendum... et praxis est ut tales homines consensum suorum dominorum, vel aliquam manumissionem, id est liberationem in scriptis episcopo exhibere debeant. »

« Ex constitutione S. Pii V, *Dignum*, 3 idus sept. 1566, mancipia quaecumque sub iugo servitutis quomodolibet alligata, christianam religionem prius amplexa, confugientia ad senatum camerae Urbis, ejusque conservatores, et libertatem acclamantia, eandem consequuntur, ac Romani cives, liberique homines in omnibus efficiuntur. Idem prius statuerat Paulus III. » (Giraldi, *Exposit. jur. pontificii*, part. I, sect. 120.)

ADNOTATIO LVIII.

Lib. I. Decretal. Tit. XX. De corpore vitiatas ordinandis vel non, n. 58; pag. 515.

DE DEFORMITATE IRREGULARITATEM INDUCENTE.

« Solius episcopi judicio, etiam ex praxi Apostolicae Sedis, relinquuntur quanam deformitas, aut corporis defectus sufficiat ad inducendam irregula-

ritatem. Et quamvis circa defectum staturae parvae nihil praecise in jure statutum legatur, cum tamen regula generalis sit quod ille defectus irregularitatem inducat, qui congruum ordinis exercitium impedit, aut notabilem deformitatem, horrorem praeseferentem, et ad risum moventem habet, hic etiam defectus remittitur examinandus iudicio Episcopi, ut ex decreto congr. conc. in *Mexicana*, 12 julii 1721, relato in *Thesaurorum resolutionum* dictae congregationis, tom. II, pag. 43 et 41

» Staturae parvae fuit etiam Paulus apostolus, atque adeo ut Joannes Chrysostomus eum appellaverit *tricubitalem*; sic S. Hieronymus, sic S. Antonius, qui propterea hoc diminutivo nomine appellatus fuit, ut legitur apud Theophilum Raynan, tom. XIII, in opere cui titulus: *Laus brevitatis*, pag. mihi 485.

» Nota quod quamvis cong. concil. licentiam impertiri soleat, postquam quis promotus est sanis oculis ad presbyteratum, et deinde caecitatis evaserit, sed non omnino caecus remanserit, diebus festis ac duplicibus, missam votivam B. Virginis, diebus autem profestis, pro defunctis celebrare possit cum assistentia alterius sacerdotis, nunquam tamen concessisse reperitur facultatem subdiacono vel diacono notabiliter caecitanti, etsi non omnino caeco, ut promoveri possit ad sacerdotium. Caecus autem omnino, ex decr. ejusd. cong. relato a Benedicto XIV, *Inst. Eccl.*, XXIV, § II, neque admitti potest ad primam tonsuram, ut ecclesiastici beneficii capax reddatur. » (Giraldi, *Expos. jur. Pontif.*, part. I, sect. 133.)

ADNOTATIO LIX.

Lib. I. Decretal. Tit. XXII. De clericis peregrinis, n. 3; pag. 520.

DE LITTERIS COMMENDATIITIS SACERDOTI PEREGRINANTI AB ORDINARIO DANDIS.

« Nullus praeterea, inquit conc. Tridentinum, clericus peregrinus sine commendatiitis sui ordinarii litteris ab ullo episcopo ad divina celebranda et sacramenta administranda admittatur; » sess. XXIII, cap. xvi, *de Reform.* »

« Quod si, inquit Giraldi, nec character, nec sigillum ordinarii aliquo modo notum sit, nullatenus erit admittendus ad divina celebranda et sacramenta administranda. Imo, sine dictis litteris, nec admittendus est etiam apud regulares exemptos, quibus episcopus prohibere potest, etiam cum censurarum inflictione, ne in suis ecclesiis permittant sacerdotibus exteris missam celebrare, nisi prius hi ab eodem episcopo, visis eorundem litteris commendatiitis, admissi fuerint, ut ex pluribus decretis congr. conc. relatis a Benedicto XIV, *Institut. Ecclesiast.* XXXIV, § I, et lib. IX, *De syn. diac.*, edit. 1753, cap. xv, n. 5.

» Episcopus autem easdem litteras denegare nequit, si petantur ex causa rationabili, v. g. prop-

ter salutiferam peregrinationem, domicilium vel diocesim mutandam, ut eadem congr. respondit in *Segnen. decretor.*, 22 nov. 1749, ad sequens dubium, primo loco sibi propositum, prout legitur in *Thesaurorum resolutionum* dictae congregationis: « An decretum episcopi factum in visitatione, quo prohibetur ne clerici discedam a diocesi sine licentia in scriptis habenda sub poena suspensionis sustineatur? Et quatenus affirmative, an liceat dicto episcopo sine justa causa discessum denegare in casu, etc.? Affirmative ad primam partem in casu de quo agitur; negative ad secundam et amplius. » (*Expos. jur. pontif.*, part. I, sect. 136.)

ADNOTATIO LX.

Lib. I. Decretal. Tit. XXIII. De officio archidiaconi, n. 20, pag. 525.

DE EXAMINE PROMOVENDORUM AD BENEFICIA CURATA.

« Respectu examinis promovendorum ad beneficia curata derogatum est (decretali *Ad haec*, hoc eod. tit.) a concilio Trident., cap. xviii, sess. XXIV, *de Reform.*, praecipiente examinandos esse ab examinatore electis in synodo. Attento hoc Trident. decreto, archidiaconus examinare nequit simul cura dictis examinatore, si non sit ex deputatis in synodo, ex decreto congr. conc. relato a Fagnano, in hac ead. decretali *Ad haec*, n. 25. » (Giraldi, *Expos. jur. pontif.*, part. I, sect. 133.)

ADNOTATIO LXI.

Lib. I. Tit. XXVIII. De officio vicarii, § I, n. 20; pag. 528.

AN VICARIUS GENERALIS EPISCOPI SEMPER PRECEDERE DEBEAT CANONICIS ECCLESIAE CATHEDRALIS.

Respondendum negative, et constat ex plurimis decisionibus sacrae rituum congregationis apud Gardellini, quas apprime collegit D. Bouix in suo tractatu *de Capitulis*, edit. sec. Parisiis et Lugduni, Régis Ruffet, 1862; part. IV, cap. xiii, § 2. Hunc sequemur aliquantisper abbreviando:

» I. Certum est vicarium generalem episcopi, modo assistat in habitu vicariali, praecedere dignitatibus et canonicis non paratis, id est, veste choralis tantum et non vestibus sacris indutis. Gardellini, nn. 14, 46, 204, 347, 621, 879, 899, 1140, 1141, 1183, 1184, 1317, 1750, 1759, 2127, 2603, 2683, 2685, 2845, 3008, 3045, 3100, 3849, 4025.

» II. A praedicta regula solus excipitur hebdomadarius qui, licet non paratus et in habitu choralis tantum officium ageas, vicario generali praecedere debet; n. 4923.

» III. Dignitates ergo et canonici, dum sunt parati, praecedunt vicario generali; nn. 70, 276, 438, 773, 817, 1140, 1970, 3085. Contraria vero consuetudo est abusus, nec tolerari debet; n. 458.

» IV. Nulla proinde gaudet praerogativa vica-